

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0274

0272

0278

0268

0283

0263

0323

0223

0373

0173

0773

Ende

Anfang

262

autem habentes, quod in vicino erat Ramula civitas, nobilis et bona, praemiserunt dominum Comitem Flandrensem cum quingentis equitibus, qui urbem reperientes vacuam nullo obstante ingressi sunt omnes civitatem; incolae enim urbis auditio nostrorum adventu timore perterriti omnia in civitate relinquentes ad montana Judaeae transfugerant, ut vitam salvare possent; nostri autem hoc auditio in ipsam civitatem ipsas copias traxerunt et triduo ibi manserunt, habentes sufficientiam victualium, quae ibi repererunt.

Qualiter Jerusalem capta fuit per nostros populos.¹

Jerusalem civitas sancta hoc modo capta fuit a nostris. Cum eniam habitatores Jerusalem de Christianorum adventu facti essent certiores atque scientes pro certo, quod omnis, quae dicebatur advenire multitudo, speciale et praecipuum propositum habeat civitatem illam obtinendi, unam, quanta poterat sollicitudine, communierunt, victimum et arma diversi generis conquisiverunt, portas, turres et moenia refecerunt innovantes omnia et collapsa vetustate exerent et electissimorum bellatorum (**B**) praesidium posuerunt in Jerusalem, XL millia armatorum ad repugnandum Christianis paratos. Ipsam etiam urbem vallis et fossatis circumduxerunt. Omnes denique piscinas vallis aquis evacuaverunt et munitionem super fontem Siloae posuerunt, ne populus aquas inveniret. Communi insuper consilio decreverunt, omnes fideles secum in Jerusalem commorantes interficere et ecclesiam resurrectionis Domini funditus dejicere et dominicum sepulchrum ab ea radicitus evellere rupemque Calvariae eradere de terra, ne occasione illorum adorationis gratia populus christianus deinceps accederet destructis his. Sed tandem prudentiori consilio cognoverunt, quod per haec majora populorum nostrorum contra se conflarent odia, idcirco omnia stare permiserunt illaesas. Christianos autem omnes utriusque sexus, senes et juvenes, qui in Jerusalem secum habitabant, spoliaverunt omnibus bonis usque ad pellem et contumeliis affectos nudos de civitate cum patriarcha expulerunt. Expulsi autem in exercitum nostrorum descenderunt, et omnem civitatis sanctae munitionem

